

## SOLUTIO :

552. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> ANTONINUS, Parochus, valide absolvit suos parochianos extra parochiam et etiam extra diœcesim absque Episcopi loci delegatione; quia Parochus gaudet jurisdictione ordinaria et proinde personali in proprios subditos, eosque in omni loco absolvere potest.

2<sup>o</sup> HYDULPHUS, Vicarius, absolvere non potuit suos pœnitentes, utpote approbatione debita vel jurisdictione personali destitutus. Jurisdictio enim Vicarii est tantum delegata, et proinde mere localis. Attamen, *stante errore communi*, reapse non invalide absolvit.

3<sup>o</sup> Neuter, neque Parochus neque Vicarius peregrinos extraneos absolvere potuerunt licite *per se*, ob dictam rationem, nimirum ob deficientem Episcopi loci approbationem. Attamen, *stante errore communi*, uterque valide absolvit.

553. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> *Neg. probabilius* quoad Parochos diœcesi extraneos, nisi specialem facultatem Episcopi sui habeant ad illos pro confessionibus suorum Parochianorum delegandos, vel nisi in iis locis vigeat talis consuetudo. *S. Lig. n. 544.*

2<sup>o</sup> Quoad Parochos ejusdem diœcesis *Affirm.*, quia ex consuetudine fere universali Parochus confessiones in universa diœcesi audire potest, nisi Episcopus aliter decernat. Consule tamen proprias locorum consuetudines.

554. *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Controvertitur. Probabilius affirm.* Ratio est : 1<sup>o</sup> quia, cum alumni seu convictores habeant actu omnimodam dependentiam a Regularibus, jam eorum familiares sunt. *Pichler, Pellizzarius, Schmalzgrueber*; 2<sup>o</sup> quia pluribus Ordinibus Regularibus, quales sunt *Benedictini, Theatini, Congregatio de Somascha, Clerici ministri infirmorum*, etc., imo et nonnullis sæcularibus Congregationibus, uti *Sancti Sulpitii, Sancti Spiritus*, etc., privilegium competit familiaritatis pro ipsorum convictoribus. Atqui ex communicatione privilegiorum cæteri Ordines Regulares jam tale privilegium consequuntur. Ergo, etc.

Hæc autem sententia plures Romanos Theologos, et quidem gravissimos, habet patronos.

*Objiciunt* adversarii aliquam Decisionem *S. Cong. in Parmensi*. Sed respondetur illam fuisse datam pro casu specialissimo, quæ proinde ad alios casus minime extendenda est. *V. Comp. n. 564.*

Ergo BENITIUS valide alumnos absolvisse censetur ex privilegio Regularibus concessio.

## CASUS VIII.

ABSOLUTIO MORIBUNDI 1<sup>o</sup>.

NABORIUS, subito morbo correptus, jamque ad extrema deductus, Sacerdotem requirit. Cum transiret MARIUS Capellanus, omni jurisdictione destitutus, advocatur. Exordio confessionis vix præmisso, ecce adstat LUCAS Vicarius qui, MARIO recedente, confessionem ægroti excipit.

Sed mox peccatum reservatum inaudiens, nec facultate a reservatis absolventi gaudens, non mediocriter intricatur; cum, sparso rumore morbi NABORII, et ipse advolat URBANUS Parochus. Eo comparente, Deo gratias agit Vicarius, et ægrotantem rogat ut Pastori, suo amantissimo Patri, confiteri velit. Annuit ille; sed cum aperuisset æger casum, cui annexa erat excommunicatio Episcopo reservata, jam nescit Parochus quid sit faciendum. Ecce interea advenit Vicarius generalis, NABORII familiarissimus, cui vice sua Pastor libenter locum cessisset, si id facere fuisset ausus, vel si pœnitens id gratum habuisset; sed timens ægroti offensionem, eum integre audivit et absolvit. Postea autem NABORIUS convaluit, et in perfectam sanitatem restitutus est.

## HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An Sacerdos non approbatus, in casu mortis confessionem audire possit? An coram approbato?*

2<sup>o</sup> *An Confessarius simplex, in casu mortis, a reservatis absolvere valeat? An a censuris, et quomodo?*

3<sup>o</sup> *An recte egerint varii Confessarii in præsentis casu, vel quid ipsis fuisset agendum?*

4<sup>o</sup> *An NABORIUS, recuperata sanitate, confessionem iterare debuerit?*

## SOLUTIO :

555. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Sacerdos approbatione carens potest absolvere in casu necessitatis, seu in articulo aut periculo mortis, ex facultate generali ab Ecclesia concessa, ne quis defectu potestatis in Sacerdote pereat. At, juxta multos, absolvere nequit, præsentis alio Sacerdote approbato; quia in eo casu nulla urget necessitas. Attamen, si confessio moribundi a simplici Sacerdote incepta fuerit, perfici potest. *S. Lig. n. 563.* Verum, juxta alios, simplex Sacerdos potest etiam moribundum absolvere coram Confessario approbato, quia, in eo casu, jurisdictio simpliciter absque ulla restrictione ei ab Ecclesia tribuitur. Hæc sententia probabilis est. *V. Comp. n. 557 et 579.*

556. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Confessarius simplex a casibus reservatis absolvere potest in mortis periculo, quia Ecclesia, benigna mater, voluit ut in morte nulla esset reservatio. Sed absolvere nequit a censuris, nisi *indirecte*, seu ita ut, si æger convalescat, teneatur adire alium Confessarium facultate absolventi a censuris gaudentem. *V. Comp. n. 579.*

557. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> MARIUS, primus Confessarius, male fecit, locum suum alteri cedendo; licet enim simplex Sacerdos esset, confessionem inceptam prosequi debuisset, ut patet ex dictis; ideoque in casu valide absolvere poterat.

2<sup>o</sup> LUCAS, Vicarius, male fecit et ipse Parochus locum cedendo. Non debuisset enim a confessione perficienda cohiberi ob peccatum reservatum, cum in morte nulla sit reservatio.

3<sup>o</sup> Quid vero de URBANO Parochus? Primum male fecit confessionem ab alio inceptam peragendo; sed postea bene fecit, miserum ægrotum ad



Vicarium generalem non remittendo. Confessio enim incepta, dum urget mortis periculum, est ratio sufficiens ut Confessarius, potestate absolvendi a censuris destitutus, ab eis, etiam superveniente Superiore, *indirecte* absolvat.

558. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* NABORIUS, recuperata valetudine, minime confessionem iterare debuit, sed tantum patefacere Superiori, vel delegato, juxta communem sententiam, peccatum cui adnexa erat censura, ut ab ea *directe* absolveretur; vel per Parochum ipsum facultatem postulare, ut ab eo confessio perfici valeret (1).

## CASUS IX.

ABSOLUTIO MORIBUNDI 2<sup>o</sup>.

LUCIANUS, Parochus, coadunato populo pro Missa die festo audienda, ad celebrandum se accingit. Sed, cum vestibus sacris jam indutus esset, admonetur TITIUM parochianum, in pago una circiter hora distanti commorantem, esse morti proximum. Quid faciet his pressus angustiis? Hæret anceps, nesciens quid consilii sit capessendum: populus enim Missam non audivit, nec tempus superest exspectandi donec Parochus redierit ut eam celebret, nam meridies jam propior est. At mox: « Scio quid faciam, ait secum. Egregia cogitatio! COLUMBINUS, Sacerdos hujus loci, qui uti Capellanus in vicina parochia celebrat, jam rediit... Ecce, eum mittam statim ad morientem, ego vero hic remanens celebrabo. Ille quidem non est ad confessiones approbatus; sed in mortis periculo nulla requiritur approbatio. » Rogatus COLUMBINUS annuit, et quam citissime pergit. Mox domum morientis adventat; jam scalas incipit ascendere, cum mulierum gemitus, clamores et ejulatus ad ejus aures feruntur, quos inter vox flebilis auditur: *Jam miser emittit spiritum!* Tunc Sacerdos alte inclamat: *Ego te absolvo a peccatis tuis.....*, et continuo convolans ad decumbentis cubiculum, eum cernit jam mortuum.

HINC:

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An Parochus, alio deficiente Sacerdote qui ad moribundum pergeret, Missam omittere potuisset aut etiam debuisset.*  
 2<sup>o</sup> *An bene egerit Parochus Sacerdotem non approbatum ad ægrum mittendo?*  
 3<sup>o</sup> *An valida fuerit absolutio quam COLUMBINUS in his rerum adjunctis impertiit?*  
 4<sup>o</sup> *An Capellanus potuisset etiam Missam loco Parochi celebrare, ut hic ad moribundum pergeret?*

SOLUTIO:

559. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* *Affirm.* LUCIANUS potuisset et debuisset Missam

(1) In pluribus Statutis synodalibus, jurisdictio confertur ad censuras in articulo mortis solvendas.

omittere. Ratio est, quia in conflictu duorum præceptorum, quæ simul adimpleri nequeunt, præceptum majus adimplendum est: atqui præceptum majus est ut moribundi animæ succurrat; præceptum enim caritatis urgens in his circumstantiis de jure naturali majus est præcepto ecclesiastico Missam audiendi. Ergo LUCIANUS potuisset et debuisset Missam omittere.

560. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Casus gravi difficultate non caret, et rationes graves pro utraque sententia, *affirmativa* scilicet et *negativa*, afferri possunt. Etenim probabiliter LUCIANUS COLUMBINUM ad ægrum mittere non potuit: ratio est, quia COLUMBINUS non potuit absolvere moribundum, tanquam a Parocho delegatus, ut patet; sed neque ex approbatione generali Ecclesiæ pro casu mortis, quia non deficit Sacerdos approbatus, scilicet Parochus non absolute impeditus. Attamen sententia opposita solido fundamento carere non videtur. Urget enim gravissima ratio, ut Parochus Capellanum mittat ad moribundum: *moraliter* enim *impeditus* dici potest, cum tunc celebrare debeat, ut magnus populus Missam audiat. Neque hoc ab intentione Ecclesiæ alienum esse videtur. Igitur, adductis hinc et inde oppositis rationibus in motivo gravi innixis, versamur in casu jurisdictionis dubiæ; atqui ex dictis supra, n. 549, licet uti jurisdictione dubia, urgente gravi causa, prout in casu nostro gravis est: ergo dammandus non est bonus Parochus, qui in tantis rerum angustiis Capellanum ad moribundum misit.

561. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* *Affirm.* Etenim 1<sup>o</sup> valida fuit ex parte Ministri, quia tunc solus erat præsens Sacerdos, et proinde certo jurisdictione gaudebat. 2<sup>o</sup> Valida fuit ratione præsentiae Sacerdotis, quæ vere moralis erat. 3<sup>o</sup> Valida fuit ex parte formæ, *ego te absolvo a peccatis tuis*. 4<sup>o</sup> Valida fuit etiam *probabiliter* ex parte moribundi bene dispositi, quippe qui Sacerdotem advocaverat, et si illum appropinquantem audivit, signum pœnitentiæ dare potuit; sed hæc absolutio modo conditionato impertiri debuit.

562. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* *Neg. per se.* Ratio est, quia Capellanus non est amplius jejunos. Porro non est *per se* ratio sufficiens Missam, non servato jejunio, celebrandi, ut populus eam audiat. Id tamen liceret, si secus timendum esset scandalum, gravis tumultus et offensio populi, etc. *Recole dicta supra de Eucharistia, cas. 20, ad 2<sup>m</sup> Quæ. n. 300.*

## CASUS X.

JURISDICTIO REGULARIUM 1<sup>o</sup>.

ONUPHRIUS, Sacerdos regularis, missus a Superioribus ad patriam, solum ut res quasdam familiares componeret, invitatur ab Episcopo loci, tum ad concionandum, tum ad confessiones fidelium excipiendas. Libenter ONUPHRIUS morem Episcopo gerit, et magno zelo sacra hæc subit ministeria. Sed mox advertit, se omni delegatione et licentia Superioris sui destitui. Hinc anxius graviter dubitat de validitate absolutionum quas impertivit.



HINC :

- QUER. 1° *A quo Regulares jurisdictionem et approbationem habeant?*  
 2° *An valide absolvat sæculares Regularis, inscio suo Superiore, sed ab Episcopo delegatus?*  
 3° *Quid, si positive obstet Superior, et Episcopus permittat?*  
 4° *An ONUPHRIUS validas dederit absolutiones?*

SOLUTIO :

563. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Regulares jurisdictionem immediate a Papa accipiunt. Jurisdictio enim accipitur a Superiore; atqui solus Papa est Superior Regularium proprie dictorum, quippe qui ab episcopali jurisdictione sunt exempti.

2° Attamen Regulares, haud secus ac alii Sacerdotes, approbationem ab Episcopo loci accipere debent ad confessiones externorum valide excipiendas. *V. Comp. n. 538-557.*

564. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* *Affirm.* Ratio est, quia Episcopus potest et vult conferre non solum approbationem, sed etiam jurisdictionem. 1° *Potest* : quia jurisdictionem ordinariam habet; jurisdictio autem ordinaria semper delegari potest. Nec dicas, Religiosum non esse Episcopi subditum; nam est sufficienter subditus ad gratiam accipiendam, siquidem de subjectione onerosa non agitur. 2° *Vult* : quia, in praxi actuali Ecclesiæ, Episcopi inter approbationem et jurisdictionem non amplius distinguere solent, et simpliciter omnem facultatem ad valide absolvendum concedere censentur. Nec obstat iterum quod Regularis jurisdictionem a Papa accipiat, quia non repugnat quod eam ex duplici fonte accipere valeat. *Billuart, diss. 6, art. 7. — V. Comp. n. 562.*

565. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Etiam in hoc casu Religiosus valide confessiones excipit. Ratio est, quia, licet graviter contra obedientiam peccet, attamen veram jurisdictionem ab Episcopo accipit, et proinde valide absolvit. *Billuart, diss. 6, art. 7.* Constat etiam ex resp. S. Cong. Episc. et Regul. 2 Mart. 1866. — *V. Comp. n. 562.*

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* 1° ONUPHRIUS valide absolvit, utpote ab Episcopo delegatus, et licite etiam, quia Superioris licentia facile præsumitur. Porro hæc licentia præsumpta sufficit ad *liceitatem*.

### CASUS XI.

#### JURISDICTIO REGULARIUM 2°.

ANGELUS, Regularis, a Superiore suo constituitur ad confessiones confratrum audiendas, et ab Episcopo pro sæcularibus simpliciter approbatur. Sed ecce repente bonus Pater ANGELUS surdus evadit, adeo ut a sacro confessionum ministerio debeat amoveri. Quamobrem, loco illius, alium Confessarium pro Religiosis Superior subrogat, prohibendo ne alius quivis idem munus exercent. Elapsis autem tribus mensibus, Pater AN-

GELUS, ab infirmitate sua præter omnium expectationem sanatus, alacriter ad excipiendas fidelium confessiones incumbit. Audit etiam confessiones Monialium ejusdem Ordinis a jurisdictione episcopali exemptarum, et soli Superiore subjectarum.

HINC :

- QUER. 1° *An Pater ANGELUS confessiones sæcularium, recuperato auditu, valide exceperit?*  
 2° *An valide prædictas Moniales absolverit?*

SOLUTIO :

566. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* *Affirm.* Ratio est, quia ab Episcopo pro eis fuit approbatus simpliciter, absque clausula de *consensu Superioris*; proinde illa approbatio minime fuit revocata. Ergo valere perrexit. Ergo non est inquietandus bonus Pater ANGELUS, neque inquietandi sunt sæculares ab eo auditi et absoluti. Pergat utique alacri animo et cum magno fructu uti facultate excipiendi confessiones, ipsi ab Episcopo facta.

567. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* *Neg.* Non potuit enim valide absolvere Moniales Episcopo non subjectas, sed a solo Superiore Monasterii dependentes, sicut socios Religiosos tunc absolvere non potuisset; quia facultas absolvendi Religiosos et Moniales ejusdem Ordinis a Superiore fuit ipsi subtracta, nec restituta. Vide *Pontas, verbo Approbation, cas. 18.*

### CASUS XII.

#### JURISDICTIO ET APPROBATIO REGULARIUM.

1° THEOPHILUS, Missionarius regularis, Lugduni degens, mutata residentia et diœcesi, post varios annos iterum Lugdunum redit. Statim ac advenit, ad eum confluunt antiqui pœnitentes. Ipse vero illico operi se accingit, non cogitans de nova approbatione, neque a Superiore domus, neque ab Ordinario obtinenda.

2° NORBERTUS, Sacerdos regularis, cum plures annos Tolosæ, approbante Archiepiscopo, salutem animarum impensus fuisset, ad aliam domum Ordinis inde valde dissitam a Superioribus mittitur. Anno autem sequenti, transeundo per diœcesim Tolosanam, ut ad aliquam Missionem remotiorem se conferret, confessiones plures absque nova approbatione excipit.

3° TIBURTIUS, pariter Regularis, vocatur ab Episcopo alterius diœcesis ad concionandum tempore quadragesimali, et ideo ab eo approbatur. Postea autem pluries per eandem diœcesim transiens, confessiones excipit, quin novam approbationem obtineat.

HINC :

- QUER. 1° *An religiosus mutans domicilium, eo ipso amittat approbationem ab Episcopo acceptam, si fuerit simpliciter absque limite temporis approbatus, ita ut nova approbatione indigeat, si illuc revertatur?*



QUÆR. 2° *An vero Religiosus nova indigeat approbatione, si non redeat ad ibidem denuo commorandum, sed per eandem diocesim transiens, ad audiendas confessiones casu requiratur?*

3° *Quid vero, si approbatus fuerit pro casu particulari?*

4° *An valide absolverint prædicti Missionarii?*

SOLUTIO :

568. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Negat.* Ratio est, quia qui approbatur *indefinite et illimitate* remanet approbatus usque ad expressam, vel implicitam approbationis revocationem. *Lug. D. 21, n. 44. — Lacroix, n. 1541*, ubi hæc expresse habet : « Si Regularis, Coloniae approbatus, « mutet diocesim, non ideo desinit ejus approbatio Coloniae obtenta. Hinc, « si Coloniae redeat, potest sine nova approbatione confessiones au- « dire. » *Lugo* tamen dicit esse suspensam approbationem tempore absentiae Religiosi, et facto ipso reditus recuperari, quia, ait, ratione approbationis fit iterum ejusdem Episcopi subditus.

569. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Negandum etiam videtur, ex rigore principiorum. Ratio est, quia *indefinite et illimitate* approbatus, remanet approbatus usquedum approbatio non revocetur, ut patet ex *Bulla SUPERNA Clementis X*, apud *Lacroix, n. 1502*. Atqui in casu approbatio non fuit revocata, ut supponitur; siquidem non revocatur, nisi Religioso revocatio manifestetur. Ergo...

Sequitur etiam ex doctrina *Suarez, de Ministro conf., disp. 26, sect. 3*, ubi ait : « Difficultas superest quando delegatio fit absque temporis limitatione, an semper duret, quamdiu non revocatur *expresse*. « Certum est, quamdiu vivit is qui delegavit, durare hanc delegationem « in delegato, quamdiu non revocatur. Ratio est, quia hæc jurisdictio « non pendet ex actuali influxu et voluntate continua delegantis, sed « solum ex voluntate semel habita moraliter perseverante. Censetur au- « tem moraliter durare quamdiu retractata non est, et ideo datur dura- « biliter et permanenter ex vi prioris concessionis, donec retractetur. »

570. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Si Regularis pro casu particulari fuerit approbatus, ad hunc casum restringenda est jurisdictio. Sic v. g. Missionarius advocatur et approbatur ab Episcopo alterius diocesis, ut sacram Missionem alicubi peragat; approbatio cum ipsa Missionem cessat, ita ut, si postea per hanc diocesim transeat, et ad audiendas confessiones requiratur, nova indigeat approbatione.

571. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* 1° THEOPHILUS valide quidem absolvit ex prima delegatione, quæ fuit illimitata, non vero, revocata; sed, ratione recti ordinis et obedientiæ, veniam prius a Superiore suo postulare debuisse.

2° NORBERTUS videtur valide absolvisse, ob eandem rationem; approbatio enim olim ipsi concessa non censetur revocata.

3° TIBURTIVS graviter erravit, et invalide Sacramentum Pœnitentiæ contulit, quia pro casu omnino particulari approbatus est.

## CASUS XIII.

## CONFESSARIUS MONIALIUM.

1° COSMAS, Sacerdos, pro Monialibus non approbatus, dum in sua Ecclesia ad audiendas confessiones incumbit, inter reliquos pœnitentes cernit Moniales duas, quæ, eleemosynæ colligendæ gratia, foras missæ fuerant. Obstupefactus COSMAS e sede confessionali egreditur, et jubet eas recedere, eo quod pro Monialibus requiratur specialis approbatio qua ipse destituitur. Alias pariter dimisit Monialem quæ valetudinis causa a pluribus hebdomadis extra claustrum degebat, etsi ibidem alius non fuerit Sacerdos pro Monialibus approbatus.

2° MANLIUS, contra, absque scrupulo Moniales in prædictis casibus excipit et absolvit, quia, ait, extra claustrum sunt oves ab aliis nequaquam absimiles. Imo, cum in Gallia versetur, alias etiam in Monasterio degentes, data occasione, facile absolvit, v. g. quando in Sacello alicujus Communitatis religiosæ Sacrum facit, et ab aliqua Sorore rogatur ut ipsi aurem præbeat; quia, ait, in Gallia non sunt Moniales *proprie dictæ*; a fortiori idem agit ubi de Monialibus clausuræ non subjectis agit.

HINC :

QUÆR. 1° *An valide absolvi possint Moniales absque speciali Episcopi delegatione?*

2° *An valide et licite absolvi possint Moniales extra claustrum variis de causis degentes?*

3° *An specialis requiratur pro Monialibus in Gallia, et etiam pro iis quæ clausuræ non subjacent?*

4° *Quid de COSMA et MANLIO?*

SOLUTIO :

572. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Neg.* Requiritur enim specialis approbatio ad confessiones Monialium excipiendas, et quidem sub pœna invaliditatis. Imo Confessarius approbatus pro uno Monasterio non potest valide excipere confessiones Monialium alterius Monasterii; quia approbatus non est pro omnibus Monialibus, nisi id ipsi expresse concessum sit. Sic ex variis SS. Pontificum Constitutionibus. *V. Comp. n. 565*.

573. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Affirm.* Ratio est, quia Decreta quæ prohibent ne Moniales confiteantur Sacerdoti ab Episcopo non specialiter approbato, intelligenda non videntur nisi de monialibus in Monasterio degentibus. Insuper nimium plerumque incommodum adesset, si Confessariis tantum specialiter approbatis confiteri deberent; sæpe enim, deficiente tali Confessario, a Sacramentis arcerentur Moniales peregrinæ. *Lacroix, n. 1527, — Vid. Comp. n. 569*.

574. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* 1° Quoad Moniales in Gallia nunc existentes, omnia ab Episcopis pendent. Episcopi autem, saltem communiter, sibi



reservare solent specialem approbationem pro Monialibus, ut constat ex litteris quibus approbatio confertur; in iis enim dicitur: *exceptis Monialibus*, aut, *etiam Monialibus non exceptis*.

2° Quoad Moniales clausuræ non subjectas, hæ severæ prohibitioni non subjacent. Episcopi tamen statuere possunt, ut etiam pro talibus audiendis specialis approbatio obtinenda sit. *Gousset*, n. 480. — *Bouvier*, etc.

575. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* 1° COSMAS omnes præfatas Moniales absolvere potuisset ex dictis, quia, dum extra Monasterium degebant, in prohibitione non continebantur.

2° MANLIUS attendere debet ad litteras quibus delegatio ad confessiones audiendas ipsi concessa fuit, vel ad diœcesis consuetudinem, cum ex dictis pro Monialibus clausuræ non subjectis, aut vota simplicia tantum emittentibus, omnia a voluntate Episcoporum pendeant; sed mirarer, si in his litteris non legeret hæc verba: *exceptis Monialibus*

## CASUS

## DE CASIBUS RESERVATIS

## SEU

*De efficacia et subjecto reservationis; de reservatione dubia; de absolutione a reservatis; de absolutione complicitis; de sollicitatione ad turpia.*

## CASUS I.

## RESERVATIONIS EFFICACIA.

OLIVARIUS, peccato reservato cum censura episcopali inquinatus, sed reservationis ignarus, vere contritus et optima fide confitetur penes SABELLUM, Sacerdotem pro reservatis non approbatum. Confessarius vero, sive ex ignorantia, sive ex inadvertentia eum absolvit, nec ad errorem attendit, nisi cum pœnitens jam longe abierit. Quare hæret anceps, nesciens quid sibi faciendum sit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An pœnitens bona fide reservatum simplici Confessario accusans valide absolvatur, sive hic attendat ad reservationem, sive non attendat?*
- 2° *An remittatur tunc peccatum reservatum, et quomodo, atque utrum pœnitens ab obligatione illud denuo confitendi liberetur?*
- 3° *An reservationi subjaceat ille qui peccando eam ignoravit, et quid, si reservationi etiam censura adnectatur?*
- 4° *Quid, reservatione post confessionem cognita, pœnitenti vel Confessario faciendum?*

SOLUTIO :

576. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Pœnitens valide absolvitur, si præter peccatum reservatum clavibus subjiciat aliam materiam non reservatam, in quam absolutio *directe* cadere possit. Adsunt enim omnia requisita ad Sacramenti validitatem, scilicet materia idonea, dispositio pœnitentis, et absolutio Sacerdotis. Nec obstat si Confessarius, ad reservationem attendens, nihilominus absolvat; peccatum enim Confessarii indebite a peccato reservato absolventis, validitati Sacramenti officere nequit, cum præter peccatum reservatum alia adsit materia, a qua *directe* absolvere potest (1).

(1) In pluribus Statutis synodalibus, jurisdictio confertur Confessario in favorem pœnitentis in bona fide versantis; et si Confessarius mala fide absolvat, censura plectitur.